



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Ivstitia Et Ivre Libri Decem, Reuerendi P. F. Dominici  
Soto, Segobiensis, Ord. Præd. Theologi præclariss.**

**Soto, Domingo de**

**Venetiis, 1608**

2 An licitum sit monetarum cambium, quæ in diuersis locis propter copiam  
& inopiam totius generis moneræ, inæqualis sunt valoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38878**

valent. Secundo arguitur. Potest quis de ferre suam auream monetam à regione, vbi minus æstimatur, ad illam vbi plures habetur, atq. illic eodem modo cambire, quo pretio illic currit, potest merces minoris emere in vna regione, & pluris vendere in alia, ergo eadem ratione possum centum ducatos alicui in Hispania mutare restituendos vbi auctioris sunt valoris. Ad prius arg. istorum distinguitur antecedit potest nanque contractus ille frumenti & ratione habere mutui & ratione cambij, quorum differentia est, quod mutuum sit ratione temporis, quo expectatur solutio, eo quod qui ab altero mutuat, re caret in presentibus, cambium vero non nisi ratione loci Petrus re vera habet frumentum in Sicilia, Paulus in Hispania sit inter eos cambium vnius pro alio. igitur vbi mutuum est, si non scitur quantum valiturum in Hispania sit tempore solutionis, licet sit contractus. Si autem fieret mutuum ea lege vt quando carius in Hispania veniret, tunc restitueretur, iniquum esset atque usurarium, vt superioribus lib. dictum est. Cambium ergo duarum rerum in diuersis existentium locis siue grana sint, siue quæcunque alie res ne utiquam fieri licet si plures in vno loco quàm in altero æstimantur. Claret enim tunc iniquitas iniustitiæ. Pari modo censendum de pecuniarum cambio. Ad posterius denique argum. conceditur cuique liberum esse ex natura rei, nisi ciuili lege sit interdictum, pecuniam suam ad locum alium transportare vbi maioris æstimatur, & illam illic corrente loci æstimatione distrahere. Et pariter quisq. alteri potest aurum suum concedere, quod quidem sibi alibi reddat. Nam hoc non habet rationem cambij, quandoquidem in mutuo & quodammodo vt dictum est, in cambio trãsfertur dominium, & ideo non potest recipi nisi res eiusdem valoris. Ex his sit consequens quod cum in mundanis inter mercatores, vt in ista narraturi sumus scutum erementio sepe valoris ac detrimento varietur, cauendæ sunt vsuræ quæ in mutuis hac ratione detrahunt. Si quis verbi gratia vt aliorum nationum sermone loquamur, centum alteri ducatos mutuet, pretio cuius loco in vbe corrente, vbi verbi gratia ducatus, viginti octo grossis æstimatus, vt restituantur pretio in mundanis Lugdunensibus, mercatoribus taxato vbi pene certum

est ducatum valiturum grossos tringinta, vsura est manifesta, siue mutatio in auro fiat, siue in argento. Nam in singula scuta recepturus est tunc mutuator duos grossos vltra fortem. Et vice versa si in mundanis quis mutuet mille ducenta argentea regalia, numeret ea tamen in aureis ducatis æstimatione duodecim argenteorum regalium, quo pretio inter mercatores currunt, itaque non annumerat nisi ducentos ducatos. Eo tamen pacto, vt mille ducenta regalia recipiat vbi vsu forensi ducatus non æstimatur nisi vndecim argenteis, vsuram committit. Nam cum non dederit nisi centum ducatos, vult supra recipere centum regalia. Et est notandum in hoc latere fallaciam, quod dum inter mercatores ducati aut scuti valor crescit aut decrescit, non est propter raritatem auri, de quo 3. nostra conclusio loquebatur, immo eius numerus in foro semper habet suam argenti & ætis æstimationem, atque adeo inter mercatores qui dederit vnum aureum, non recipiet nisi, verbi gratia vdecim argentea regalia, sed fingunt illa scutorum ac ducatorum nomina quæ maiori minorive pretio æstimant. Et ideo qui mutat aureum scutum æstimatum nundinarum pretio maiori illud argento æstimatum mutat, quam dum illud recipit. Mercatores nanque nullam habent auri rationem aut argenti, vt statim clarius patebit. Atque hinc colligitur responsio primi argumenti in fronte quæstionis obiecti. Dum enim decem ducatos mutuas siue in auro siue in argento, nihil amplius tibi debetur quàm pecuniam eiusdem valoris. Ac perinde secundi argumenti antecedens, conclusione secunda ostensum est falsum. Non enim possum crescente valore aureæ monetæ nisi illum recipere quo dum mutuaui vel cambij æstimabitur.

ARTICVLVS II.

*Vtrum licitum sit monetarum cambium, quàm diuersis locis propter copiam & inopiam totius generis moneta inæqualis sunt valoris*

**R**estat hic de quarto modo variari monetarum valoris disputare. Fac verbi gratia, in Flãdria modo propter bel-

Ad primũ arg.

Ad secũdũ arg.

Q9 4 la, que

la, quæ illic geruntur, aut Romæ, multo esse strictiorem inopiam numeratæ pecuniæ quam in Hispania, qua ratione plurius illic aestimatur ducatus quam apud nos, vtrum liceat hac ratione pro suis quæ illic numerantur, plus in Hispania recipere. Apparet namque in proximo art. definitam esse quæstionem ad partem negatiuam. Sane cum tertiam cõclusionem negatum sit licere cambire monetam auream vbi minus valet restituendam vbi plurius propter raritatem auri aestimatur. Eadem enim ratione non licebit maiorem pecuniam recipere, vbi propter pecuniarum copiam minoris aestimatur, quam illic vbi pecunia fuerat, collata. In contrarium est, qui rerum copia pretium earum minuit, qua ratione licet pro vno modio frumenti vbi duplo plurius aestimatur duo suscipere vbi duplo minoris venditur. Sic ergo erit in monetis.

Argu.  
a partis  
negati-  
ua.

Mercatorum  
vix.

Peruenit nobis tandem ad locum est vbi cambiorum natura quæ mercatoribus in vsu habentur, explicanda est. Quam profecto, si ego non fallor, nusquam hætenus apud auctores intellectam legerim. An vero scopum ego tetigerim, alij iudices sunt. Igitur post ea quæ in superioribus iacta sunt fundamenta, mercatorum modo praxis ante oculos constituenda illis est qui eiusmodi cambiorum mores deprehendere cupiunt, dictum enim est, chirographorum solutiones quibus mercatores sua transigunt negotia in nundinis statim temporibus celebrari, quæ quidem solutiones ac si tunc fierent præsentis pecuniæ quando res venduntur ita reputantur. Subiicitur ergo in nostratibus exempla quæ illis simillima sunt quæ in alijs prouincijs, siue Venerijs, siue Genuæ, siue Lugduni, siue Lugduni vsu sunt. Sunt ergo apud nostrates qua terræ statim nundinæ, quibus sub eodem numero aliæ respondent in Flandria. Primæ celebrantur Campensis Metinæ sub mensẽ Maium, vbi campforum mensæ ad soluendum sterauntur, vel, suo idiomate, cambia aperiuntur, quintadecima Iulij, duranque solutiones vsq. ad decimam Augu. His respondent aliæ in Flandria sub mensẽ Septembrem, vbi cambia solutionibus faciendis panduntur decima Nouembris, duranque solutiones toto illo mensẽ. Secundæ nundinæ fiunt Metinæ Rini Sicci, vbi cambia incipiunt decima-

quinta Septembris, finiuntur autem decima Octobris. His respondent aliæ in Flandria, quæ celebrantur sub Natale Domini, in quibus cambia incipiunt decima Februarij, duranque per totum mensẽ. Tertiæ fiunt apud nos eadem Metinæ Campensis sub mensẽ Octobrem, cuius cambia durant a mensẽ Decembri vsque ad initium Ianuarij. Cui Respondetur in Flandria nundinæ Resurrectionis, in quibus cambia incipiunt decima Maij, duranque toto mensẽ. Quartæ nundinæ fiunt apud nos in Villalon, quarum cambia fiunt Quadragesima dimidiata vsque ad Pascha, quibus respondent in Flandria nundinæ Iunij quarum cambia durant feretoto mensẽ, Augusti. Igitur cambiorum praxis est hæc, vt tres menses post receptionem pecuniæ Metinæ restituatur in Flandria Nam campfor qui in nundinis Maij Metinæ in initio Augusti pecuniam numerat receperunt est in Flandria nundinis Septembris, vbi solutiones, vt diximus, fiunt toto mensẽ Nouembris, Et qui Metinæ Rini Sicci pecuniam annumerat in initio Octob. eandem recipit in Flandria in nundinis Natiuitatis, puta mensẽ Februar. Et simili analogia de alijs censendum. Atunt enim illam tẽporis intercapedinem necessariam esse, vt chirographa possint illic cõmodo peruenire, & parari pecunia. His circa practicam intellectis ecce cambiorum punctum. Quando in Flandria vel propter belia, vel alia quacunq. de causis numerus pecuniarum laboratur, ille qui hinc illuc suã vult inter mercatores transmutare pretiũ pedit qui autem vice versa pecuniam in Flandria numerat, Metinæ sibi restituendam, non modo nihil pendit, verum & plus lucratur, quam ille pendit qui in Hispania numerat vt in Flandria recipiat. Exẽplis gratia. Nũc tẽporis quo propter continuã belia Cæsar pluribus indiget apud Flandriã talentis, raritas est pecuniæ illic maxima. Itaque minor pecunia tanti habetur quanti apud nos maior. Sicuti vbi charitas esset tritici, vnus modius tanti panitet, quanti alibi duo. Quæstione enim sequenti articulo primo, narraturi sumus causas augẽdi cambiorum pretia. Hæc ergo de causis mercator qui Metinæ alteri quadringentos decem denariolos nostros, quos dupondia appellamus. Itali quattrinos, Galli turonos, non plures in Flandria recipiunt.

trecentos sexaginta. Itaque pro transmissio-  
 ne perdit quinquaginta: quamuis, ut su-  
 pra diximus, non iactura, sed lucrum est.  
 Qui autem econverso in Flandria nume-  
 rat trecentos, recipit in Hispaniam trece-  
 tos septuagintaquinque. Itaque plus lu-  
 cratur in remittenda hoc pecunia quam pen-  
 derat, dum hinc illam illuc transfuserat.  
 Simile ferme tunc contingit inter Hispania  
 & Romam, ubi angustior est solio pe-  
 cunie inopia. Per hæc ergo, ut obiter ad-  
 notemus, patet eiusmodi cambia non esse  
 a Docto intellecta, ac perinde in diuersas  
 sententias dissident, Caiet. namque in suo  
 illo opusculo, cap. 7. fundamentum huius  
 cambij illud excogitat, quod pecunia loco  
 abscens minoris habeatur quam si esset loco  
 presens, & eidem applaudit Syluest. verb.  
 vitura 4. Nam quo loco, inquit, distat,  
 pluribus est subiecta periculis, quocirca po-  
 test minor quæ tior est, iuste pro maiori  
 cambij quæ minus est iura. Et quidem si  
 re vera hæc existerent pericula, inficias nõ  
 item. Falsi enim supra sumus, es alienum,  
 quod ille debet, a quo vel propter pau-  
 perem vel propter fidei tenuitatem non est  
 recuperatu facile, minoris vendi posse, quã  
 sit eius quantitas, neque merces infans vn-  
 dis commissæ tantum emerentur, quam si es-  
 sent in portu. At tamen inter mercatores  
 nulla sunt, aut vix ulla huiusmodi pericu-  
 la. Nam illi qui Metinæ recipiunt apud Flã-  
 driam soluturo, tanta habetur fides. quam  
 si pecuniam haberet in Hispania. Quare  
 hæc illis licentiam facere est plus illis in-  
 dulgere quam sibi petunt. Adde quod si  
 hæc esset horum cambiorum basis, tunc il-  
 le qui modo Metinæ pecuniam numerat,  
 recepturus in Flandria, minoris deberet il-  
 lam Flandrensem emere, hoc est, auctior  
 illi deberet in Flandria restitui, cū tñ mul-  
 to minus illic recipiat. Alij ergo arbitran-  
 tur ratione, qua huius cambij iustitia fun-  
 datur, eam esse, quod aurum pluris penditur  
 in Flandria. Et ideo aiunt hoc non licere,  
 nisi commutatio fiat diuersarum pecunia-  
 rum scilicet argenteæ, pro aurea, vel ænea.  
 At vero hoc iam supra diximus, mere grã-  
 tis esse dictum. Nam cambia ratione loci  
 non est fieri necessarium in diuersis mone-  
 tis. De quo cambio superiori art. tenia nõ-  
 sta conclusio loquebatur. Immo, ut proxi-  
 me dicebamus, nulla inter mercatores au-  
 ri vel argenti vel gris habeatur ratio. Sed

fac nullum esse aurum vel argentum præ-  
 ter æneos eosdemque minuissimos dena-  
 rios. Ex his namque qui modo Metinæ  
 confert quadringentos decem, in Flandria  
 recipit non nisi trecentum supra sexaginta.  
 Et vice versa, qui illic confert trecentum,  
 hic recipit septuagintaquinque supra  
 trecentos. Vnde cum amplius sit lu-  
 crum, dum prius pecunia numeratur in  
 Flandria reddenda in Hispania, quam dis-  
 pendium, si Metinæ numeretur, redhiben-  
 da Brug, vnum ex frugiferis negotijs est  
 thesaurizate pecuniam apud Flandriam,  
 hoc est illam a nobis illuc transmittere, in  
 hunc potissimum usum, ut inde huc rur-  
 sus remittatur. Fit enim lucri accessio tre-  
 decim dupondiorum in singulos ducatos,  
 quamuis illud etiam quod dispendium fa-  
 cere videtur qui plus Metinæ videtur prius  
 conferre, quam post recipit in Flandria, re-  
 vera non est iactura, verum etiam sæpe lu-  
 crum. Sed & hoc demum nosse oportet, quod  
 quanto exuberantior est Metinæ pecunia,  
 tanto vilius cambitur hoc est qui pecuniam  
 numerat soluendam sibi in Flandria, au-  
 dius pendit precium, quia rariores inue-  
 niuntur qui Metinæ egeant. Et quanto an-  
 gustior, tanto minus pendit, quia plures  
 sunt recipientes Metinæ ut consignent in  
 Flandria. Quæstio ergo præsens est, vtrum  
 cambia hæc sint licita? Et præter argumen-  
 tum in capite questionis factum arguitur  
 hoc modo. Si hoc cambium reale esset ac li-  
 citum, id maxime, vel quia esset diminutũ  
 cambium, vel ratione loci, nempe quia pe-  
 cunia ab vno in alterum traducitur, muni-  
 ti autem nullum habet specimen. Haud n-  
 illic pretiosior moneta cum viliori cambi-  
 tur, sed denarij pro denarijs. Neque vero  
 totũ eius fundamentum est ratio loci,  
 nam tũc sicut pro translatione ab Hispania  
 vbi copiosior est pecunia ad Flãdriam pre-  
 cium soluitur, ita & econverso pro transla-  
 tione solueretur quæ fit in Flandria in Hi-  
 spaniam, quod tñ vt in practica ostensum est  
 non fit sed accedit lucrum. Adde quod qui in  
 Flãdriam pecuniam confert quæ sibi in  
 Hispania referatur, porro id non facit, quia  
 indiget hoc suam transmittere pecuniam  
 quia forsitan illam hinc transtulerit sed pro-  
 pter lucrum. Secundo arguitur. Genus hoc  
 cambij manifestam oculis exhibet speciem  
 vlturæ. Nam qui Metinæ, verbi gratia pe-  
 cuniam numerat restituendam sibi in Flã-  
 driam,

Primũ  
 argum.

Secũdũ  
 argum.

ria, dominium eius in illum transfert absolute quam perinde alter ibidem dispedit ac si simpliciter esset mutuum. Et (quod rem probabilior facit) ille qui recipit, non ob id videtur facere, ut quam habet in Flandria. Metinam transferat, quia forte nullam illic habet, sed quia Metina indiget, & quo expectetur solutio, fucatur illo colore quod soluat in Flandria. Accedit quod si quis in alteri Hispania re vera mutare pecuniam, quam mutuatarius in Flandria esset responsurus, quia ambo illic forte proficiuntur, propterea quod in adverso loco esset soluenda, nihil de natura mutui amitteret. Et confirmatur hæc ratio: Ut cambium ratione loci sit licitum, nulla debet temporis mora de necessitate intervenire. Sed ergo, verbi gratia habeo hic pecuniam presentem, & tu Romæ etiam presentem, admetior tibi hic, ut tu mihi Romæ remetiaris. Itaque si possibile esset me hodie existere Romæ hodie mihi illic rependeres, sed requiritur tempus, quia non potest nuntius illuc aduolare. Attamen in istis cambijs habetur ratio temporis. Si enim qui hodie recipit Metinæ, eras deberet soluere in Flandria, vel intra hebdomadam, si statim succussatis equis nuntius euolaret, iste qui recipit reuera vel non reciperet, vel non nisi viiori pretio. Cum ergo hoc verum habeat, signum & expectationem trium mensium esse in causam lucris huiusmodi cambijs. Præterea ex notabili superius posito elicitur etiamnum recens argum. Nam si secundum copiam aut inopiam pecunie quæ est in mundis cambijs præcia variantur, iudicium est eadem cambium rationem habere mutui. Etenim si mercatoribus, reliquis negotijs peractis amplior pecunia superest, facilius eam conferent, plusque perdunt, si vero maior est penuria difficilior conferunt & cum maiori lucro. Quod si negemus esse mutuum, illuc relabimur ut concedamus (quod quidam arbitrantur) venditionem esse emptionem que pecunia, ita ut pecunia in Hispania ubi est maior copia, minori aestimetur pretio, similis autem in Flandria maiori. Quomodo enim olina, quæ apud nos nascuntur, non autem illic. Ex hac ratione pecunia, quæ est Metinæ venditur illius pretio, quæ est in Flandria, & educto. Pecunia autem cum sit rerum pretium, non

potest pretio alio dicendi. Hæc profecto dubiam rem faciunt. Imo apud illos qui eius tantum superficiem aspiciunt merito demonstrant, iniquam. Nihilominus quædam pro capto meo conijcere possum, res aliter habet. Quare ad questionem hæc conclusione responderetur, licitum est pecuniam ab vno in alterum locum cambire, habito respectu copie, quæ est in vno, atque inopia, quæ in altero, ut scilicet pro maiori numerata ubi est copia, minor recipiatur ubi est inopia, dummodo nulla præterea temporis habeatur ratio, quam illius quod necessarium est ad tradenda chirographa (pro quo, ut infra patebit, nec pretium augeti potest) omnique fraudis dolique genus ablit. Enimvero nisi mea me cõiectura fallit, hoc quantum conijcere possum, est cambijs fundamentum, quæ hac nostra tempestate vsa celebrantur. Probatio apud me conclusionis est hæc. Iustitia lex est, ut dati & accepti æqua sit aestimatio quadringenti autem, verbi gratia denarioli ubi affluens est pecunia non plus habentur quam trecentum quinquaginta ubi pecunie penuria laboratur, ergo numerate illic quadringentus, ut aut centum, quinquaginta hic recipias, non est iustitia violatio. Nec vice versa dare hic trecentum quinquaginta ut illic tibi quadringenti reddantur. Hæc plurim præfertur in oleo, ut modo dicebamus, cuius copia est apud, nos aut in vino, quod a nobis illuc refertur. Non enim plus apud nos habentur, immo minoris centum ead quam sexaginta aut septuaginta in Flådria ergo sicut potest quis maiorem hic mensuram huiusmodi liquoris pro minori apud Flandriam soluenda cambire, ita fieri potest in pecunia vice versa, sicut potest quis pauciores Metinæ vinas liri cambire pro pluribus soluendis in Flådria, quia liri apud nos maior est caritas, sic potest modo mercator apud Flådriam, minorem cambire pecuniam pro maiori in Hispania redhibenda. Et confirmatur præterea inde conclusio, quod si quis vellet cambire simpliciter ratione loci nempe transmittere pecuniam suam ex Hispania Romam, sed tamen vel propter bella vel propter alia præsentissima pericula, nulla alia pateret via, nisi cambijs hanc pro illa, & Roma numerorum argenti grauius precigaretur, licet minorum illic reddere.

Confratio.

Tertium argum.

reddere, eo quod tanti habetur quanti hic  
 aliquantulo maior. Nihil ergo in hoc cam-  
 bio iniquitatis apparet. Quod si hoc licitū  
 est, nihil refert, an obiter quis illud faciat,  
 & præter consuetudinem, an vero ex offi-  
 cio. Nā quod natura sua iustum est, quisque  
 potest consilio exercere. Contra hanc ni-  
 hilominus conclusionem hoc statutum of-  
 fert argumentū, a loco ad tempus. Seque-  
 retur inquam eadem ratione, quod liceret  
 cuique modo in Flandria suo civi nume-  
 rare, & g. decem scuta, quorum singula est  
 manat tercentum denariolis siue in auto  
 siue in denarijs, quia nihil refert, hac lege  
 ut quando esse affluentia pecunie quan-  
 ta est in Hispania vel maior, recipere pro  
 singulis scutis tercentum septuaginta-  
 quinque denarios, quos modo recipit in  
 Hispania. Nam si hoc licet propter copiam,  
 que est in Hispania, cur non erit licitum  
 quando tanta fuerit abundantia in Flan-  
 dria? Respondetur hanc que apparet, non  
 esse similitudinem, quoniam transfere-  
 nūc dominium pecunie ut designato post  
 tempore restituatur non potest non esse  
 mutuum, & ratione mutui nihil potest pre-  
 tij extorqueti, sed quando habetur ratio  
 diversitatis, non temporis sed loci, non est  
 mutuum, verum cambitio duarum rerum  
 presentium, quarum valor modo aqualis  
 est. Ex his ergo facile moderamina colli-  
 guntur ac temperamenta conclusionis,  
 quibus est eius veritas circumscribenda.  
 Primum enim diximus cauendum esse,  
 ne ratio huius temporis obrepat, quæ in-  
 dicium sit palliati mutui. Ad cuius vitæ  
 rei notitiam, hanc censeo statuendam re-  
 gulam. Nō potest virtute huiusmodi cam-  
 bij aliud quidpiam recipi, quam si duæ res  
 in præfenti existentes cambirentur, hoc  
 est, non potest, qui pecuniam in Flandria  
 numerat, quantum est ex genere suo, plus  
 in Hispania recipere, quam si eodem pun-  
 cto quo pecuniam illic confert, fieri posset  
 ut eandem reciperet in Hispania. Exem-  
 plum esto. Si ille admetiens pecuniam in  
 Flandria, certus esset eadem die mini-  
 strum suum eandem recipere Metinae,  
 nempe quia per literas antea & nuntios in-  
 ter eos sic convenium fuerat, & ratione af-  
 ferta conclusionis amplius recipit, quam  
 confert tantundem prioris valoris, neque  
 alium præterea obolum recipere potest,  
 siue solutio faciendâ sit post mensem, si-

ue post tres, siue post decem: Hanc in-  
 quam regulam constabiliendam hic quā  
 maxime necessarium arbitror. Nam si tam  
 vera est, quam reuera censeo, infallibilis  
 est iustitiæ index huiusmodi cambiorum.  
 Modificari autem sumus conclusionem di-  
 centes, quantum est de genere suo, quoniā  
 non perinde in pecuniarum cambio cenferi  
 potest tempus illud præfens, quo æsti-  
 mandus est valor pecunie in alio absente  
 loco, atque in alijs mercibus, ut artic. proximo  
 declarabimus. Porro autem eius veritas  
 ex dictis sit competissima. Fundamen-  
 tum enim iustitiæ horum cambiorum at-  
 que adeo testimonium rationem mutui  
 huic non abdi, est quod cambitur maior  
 pecunia pro minori, aut vice versa, quo-  
 niam in vno loco tanti æstimatur minor,  
 quanti in altero maior, ergo ratio valoris  
 huiusmodi pecuniarum ad eundem tem-  
 poris articulum referri debet, & perinde  
 ac si res præfentes sint, earum cambium  
 existimari, atque adeo nulla temporis ratio  
 interuenire valet, quæ pretium vel vnus  
 augeat vel alterius minuat. Et quoniam  
 conclusionem similitudine aliarum rerum  
 fulciamus, earum exemplo in eius expli-  
 catione vtiatur. Licet quidem mihi exi-  
 stenti in Hispania, ut frumentum plus  
 vendatur, duos modios cambire pro  
 tribus in Sicilia, quos scio eodem æstimari  
 pretio quo duos in Hispania. Hæc autem  
 cambitio non est licita, nisi pro eodem te-  
 pore, nempe quia tu habes frumentum in  
 Sicilia, & ego in Hispania. Quare ex illo  
 puncto quo ego tibi in Hispania meum  
 confero, id quod tu in Sicilia habebas, fa-  
 ctum est meum. Nam si tu illic nullum ha-  
 bes modo frumentum, sed expectas habe-  
 re, & quo te expectem, reddis mihi pro duo-  
 bus tres manifestum est vsurarium mu-  
 tuum. Ad propositum ergo, si ille qui reci-  
 pit in Flandria reddit tibi post trimestra  
 plusquam redderet, si eadem die qua tu  
 confers in Flandria redderet tibi in Hispania,  
 manifestum est hoc non esse syncerum  
 cambium rei pro re, sed auctarium illud ob  
 id adhiberi, quod illo tempore illum ex-  
 pectas dum pecuniam quam paratam non  
 habet, conficiat atque adeo ratione mutui  
 quod illic contegitur. Et per hoc patebit vi-  
 tium illius rationis, quam sibi mercatorēs  
 obtinent. Fatentur nanque vnam cau-  
 sam cur expectetur toto trimestri esse, ut  
 ille

Altera  
 rō pro  
 conclu-  
 sione.

Expōdi-  
 tur mer-  
 catorū  
 cauilla-  
 tio.

Arg. cō-  
 tra con-  
 clu-  
 sionem.

Solutio.

Moder-  
 amina  
 pō-  
 sū-  
 tē con-  
 clu-  
 sionis  
 Regula.

ille qui in vno loco recipit, parare possit, & forte conficere pecuniam ad solvendum. Hoc inquam indicium est manifestum mutui. Nam vt simplex sit cambium, requiritur (vt crebro repetimus) virtusque rei existens, atque adeo, vt ille qui recipit in proutu habeat pecuniam. Quare si in presenti non habet, palam fit, pro expectatione diu conquirat, augere cambij pretium. Sed ait mercator, chirographum non est volucris, quæ possit subito euolare, atq. ad eo tempus requiritur. Patentur quidem, vt supra falsi sumus. Attamen cum tempus illud non nisi illi necessitati in euiat, vt cambium in noteat, ratione illius nihil pretij extorqueri potest. Et hoc est punctum, quod consideratissime n. editandum est. Si enim cambium est rei pro re, ad idem est reducendum punctum, pro tempore ergo notificandi nihil recipi potest. Quare vbi diximus admittendum esse tempus necessarium ad transmittenda chirographa non eo pacto intelligendum est, vt habet eius ratio posita ad recipiendum pretium, quia tunc profecto pro eiusdem temporis expectatione reciperetur, sed intelleximus illud necessarium tempus non esse, vt quidem arbitrantur, vltra indicium Sed ait rursus qui partes mercatorum defendat. Si iste qui pecuniam alio transmittit, cursori eandem concederet transferendam, inducias illius temporis concederet, tunc pro tempore pretium solueret. Respondetur non vnam solum fallaciam in argumento latere. Primum enim qui sic arguit, immiscet diuersas simul cambiorum species, quod in presentis questionis fronte cauendum admonuimus, tunc enim non disputamus de cambio ratione loci, hoc est, quod sit sola ratione transmittendi pecuniam qua alibi indiget, sed de commutatione pecuniæ vnus loci pro pecunia alterius, propter copiam inopiaque varietatem. Nam qui pecuniam dat in Flandria, recipiendam in Hispania, nihil dispendit, vt diximus, sed lucratur. Item qui pecuniam concedit cursori, non transfert in ipsum dominium vt fit in cambijs. Atq. adeo nulla illic abdi potest ratio mutui. Et quod ad rem pertinet, pretium non illi constituitur pro tempore, sed pro labore, cambij ergo pecuniam que est Metinæ, pro illa, quæ censetur esse in Flandria, non debet illa norma iudicari, quæ est mera translatio percursorum, eo vel maxi-

me, quod pretia non conueniunt. Transtaret enim cursor ab Hispania in Flandriam quatuor millia ducentorum, pretio centum, & tamen qui prius recipit in Flandria, responsum in Hispania, soluit quintam partem, & eo amplius, capitalis, Sed arguit sic forsitan contra campiosem quispiam. Dum bella vel obstacula alia impedimento sunt, ne pecunia transferri possit, multo auctius esse debet translationis pretium, ergo id ego possum supra illam rationem suscipere, qua vna moneta cambij pro alia. Nunc cum duarum cambiorum specierum per se vtraque licita est, nulla est iniquitas, si altera alteri adhibeatur. Ad hoc respondetur, & est iudicio meo aptissime notanda responsio quod si cambium de quo impresentiarum loquimur, licitum est, neque vt pecunia vnus loci pro pecunia alterius cambiatur, hæc nihil bellis obstantibus, strata est para istinaque via traduce diu monetam, & ideo iniquissimum est ad lacrum huiusmodi cambiij pretium aliquid super adhibere ratione translationis de loco ad locum. Sed aliter eligendum est, vel si quidpiam pretij ratione secundi adhibeatur, id debet esse tenuissimum. Ex quo fit, quod cum inter mercatores non habeatur ratio nisi prioris cambiij, scilicet commutationis monetæ si cambium fiat cum alio ciue, qui non est mercator neque negotiator, & præter hanc habeatur etiam noua ratio pretij propter translationem, iniquum esset. Crediderim ergo certissimum esse nostram conclusionem, videlicet ex cambio de quo impresentiarum agimus, nihil amplius posse recipi, quam si eadem die in vno loco pareretur, & in alio reciperetur, vel perexile in super quidpiam. Ex quo fit eandem, vt in calce totius questionis hoc adnotemus, nondum patere differentiam huius æquitatem, nempe quod cum ille qui pecuniam Metinæ prius capit, reddidit autem post in Flandria, non lucratur nisi quinquaginta, ille qui conuerso eodem tempore inuariataque pecuniæ æstimatione prius confert in Flandria, recepturus in Hispania, lucratur septuagintaquinque. Enimvero si quod prius cambium licitum sit, id in causa existit, quod tertium sexaginta, que ille qui Metinæ recipit, reddit in Flandria, tanti æstimantur quanti quadringentodecem quæ receperat, & conuerso. Igitur qui vice versa tertium sexaginta prius confert in

Obiectio.

Solutio.

feret in Flandria non est cur postea recipiat Metinæ, nisi quadriaginta decem, nam idem est valor. Quare nihil referre debet, quod prius qui recipiat Metinæ, ut soluat in Flandria, & quod prius annumeret in Flandria, ut postea recipiat Metinæ.

Restat igitur argumentis responsa subiecte, quæ contra hanc nostram assertionem militare videntur. Ad primum ergo in vertice quaestionis oppositum respondetur, diuersam esse rationem quâd præcium auri augetur vel minuitur æstimatione argenti aut æris, propter solius auri raritatem, & quando tota pecunia plus minorive æstimatur propter eius in genere copiam vel inopiam. Nam prius modo qui ducatum, verbi gratia confert in Hispania, non confert amplius quam vndecim argentea regalia. Si quidem idem est in auro tribuat an in argento. Qui autem illud recipit Romæ æstimatione Romana recipit illic regalia tredecim, non ob id quod tredecim regalia non plus illic habeantur, quam vndecim apud nos, sed quod aurum carius æstimatur. Sicut si frumentum valens vndecim cambiter quis pro alio valente tredecim. Atque quando maior est copia pecunie totius in genere in vna provincia, quam in alia, non plus æstimatur, vbi maior est copia pecunie tredecim regalia, quam vndecim in altera, vbi est penuria. Et ideo potest, verbi gratia dare quisque in Flandria vndecim in quacunq; moneta, siue aureos ducatos siue argenteos, siue aeneos numos recepturus tredecim in Hispania. Ad primum autem eorum, quæ proxime ante conclusionem adiecit, iam satis responsum est, iustitiam huiusmodi cambii monete pro moneta non in eo fundari, quod sit cambium mutuuum vel merum ratione loci, ut numi transferantur, sed propter differentiam valoris in diuersis locis. Quare non inde variatur contractus quod fiat non ob necessitatem transferendi pecuniam ad alia negotia, quam ratione loci, sicuti in alijs mercibus accidit. Ad secundum vero negatur hoc esse mutuuum, ut de ducatum est, quia non fit sic hoc cambium, vel huiusmodi debet, ut ratione temporis aliquid petatur, sed est cambium duarum præsentium pecuniarum. Quocirca ingenue concedimus cum qui cambit, transferre in alterum dominium suæ pecunie, ut quolibet usum illam dispendat. Unde tamen

non fit consequens, ut quidam neoterici censent, esse mutuuum, nam in cambio etiam transferitur dominium, ut dum merces quaslibet tuas cum alijs commutas. Neque refert, ut idem auctor cogitat, pecuniam redditum in moneta diuersi metalli aut eiusdem. Ad aliud vero quod illic adhibebam, nempe accidere nonnunquam quod qui Metinæ recipit, nullas habet pecunias in Flandria, iam etiam dictum est in tali casu, si iste non solutus in Flandria, omnino esse palliatum mutuuum, quia non cambium res pro re, sed soluitur præcium pro inducijs ad restituendum indultis. Ad aliud autem etiam responderetur, quod recipere hic & soluere in Flandria non tollit rationem mutui si fiat ratione temporis. Si autem fiat ratione diuersitatis valoris, non est mutuuum, sed cambium. Sed & ad confirmationem satis responsum est vbi eius conclusionem concessimus, nempe non licere plus recipere ratione huius cambii, quam si eodem die quo in vno loco confertur pecunia, referretur in altero. Ad aliud vero de argumento & decremento cambiorum statim dicturimus artic. prox. Ad yltimum, denique negatur sub hoc cambiorum tegmine pecuniam emi aut vendi quia neutra habet rationem pretij alterius, sed est mera rerum permutatio.

ARTICVLVS III.

Utrum cambiorum pretia inter campiores variari possint.

Subsequitur ut de varietate cambiorum pretij quaeramus, an sic licita. Arguitur namque quod inter mercatores neque ant seiusmodi pretia variari. Nam cum pecunia non sit vendibilis, non potest eius præcium eum reliquarum mercium aliquo modo mutari, nisi sola principis lege augmentis minuentive eius valorem. In contrarium autem est celeberrimus cambiorum usus, qui reprobati haftenus non confuevit. Quæstio hæc ad superioris claritudinem apprimè est explicata necessaria. Cui enim definitum sit monetas diuersorum locorum pro diuersam æstimatione iuste cambii, opere præcium est nosse vtrum in mundanis variari iuste possint inter mercatores pretia. Ad quæ idcirco quæst. duabus conclusionibus

Ad tertium arg.

ad quartum arg.

Ad quintum.

Ad sextum.

Ad septimum.

Ad primum. Ad secundum. Ad tertium. Ad quartum. Ad quintum. Ad sextum. Ad septimum.